



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**ITINERARI[I] || ITALIAE || RERVMQ. ROMANARVM || LIBRI
TRES ||**

Schottus, Franciscus

Antverpiae, 1600

Leandri Alberti De Eadem Aede Testimonivm.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70633)

LEANDRI ALBERTI DE
EADĒM AĒDE TESTIMONIUM.

R Ecanatum inter, & mare Adriaticum, non longè à Mufione fluuio cernitur in colle templum S. Mariæ Lauretanæ toto terrarum orbe celeberrimum, quod simul cum oppido validis est munitum mœnibus. Hic multi sunt incolæ excipientes hospitaliter peregrinos, qui ex omnibus Europæ partibus, eò votorum soluendorum gratia confluunt, cum omnibus anni temporibus; tum maximè Vere, & Autumno. Equidem de tanto templo dicturus, vnde ordiar nescio. Obuersatur quippe animo, hinc summa loci religio, illinc eximia templi opulentia. Enimuero me vires deficiunt conantem dicere de sanctissimo illo, religiosissimoque cubiculo, vbi nata, vbi educata est cæli Regina semper Virgo, ac Dei parens Maria, eademque miserorum mortalium apud filium suum Patrona. Vbi Archangelus Gabrielis nuncio Dei Mater effecta, appellataque est, vbi humanam Deus naturam induit, vt nos ex faucibus inferni draconis eriperet, cælestisque regni aditum per tot sæcula, Parentum humani generis vitio, clausum aperiret. Itaque vt dixi, vnde talis loci descriptionem ordiar, ignoro. Cæterum vt piis pariter, curiosisque lectoribus satisfaciam, pauca dicam. Principio igitur dubitandum non est, quin hoc illud ipsum sit cubiculum, vbi cæli regina edita in lucem est. Nam præter certissima litterarum monumenta, quæ Deip. Virginis cubiculum ab Angelis huc translatum esse fidem faciunt, nemo est tam ferus ac ferreus, nemo tot, tantisque flagitiis, ac sceleribus coopertus, qui non in ipso sacrae domus ingressu, præsentis numinis cælestis reli-

religione perfusus molliri suum sentiat pectus, adeo vt venerabundus B. Mariæ impleret auxilium, ac per eam à Christo suppliciter oret suorum veniam delictorum. Et sanè ad ipsum humanos animos diuina vis videtur impellere. Adhæc accedunt prodigia, ac miracula ibi diuinitus edita, beneficiaque tributa iis, qui ad Dei parentem supplices confugerunt. Id adeo non solum litterarum monumenta testantur, sed etiam aurea, argentea, cærea simulachra, votiuæ quoque tabellæ, quæ per multas ætates, ac sæcula congesta visuntur. Longus sim, si velim numerâdo percensere diuina prodigia, ac dona inibi impartita mortalibus. Quæ quidem tot tantaque sunt, vt incredibilia videri possint iis, qui non facîle inducuntur, vt credant, maternas à Deo preces audiri.

Nec verò hac magnificentius à Leandro dicta, quam verius.

R E C I N E T V M.

Proscisceris hinc *Recinetum* emporium recens ex vetustæ vrbis *Heluie* reliquiis excitatum, ex cuius interitu ac ruinis etiam *Maceram* exurrexisse volunt. Cuius vrbis ab *Heluio Pertinace* Aug. perampliter olim restitutæ lateritium amphitheatrum ingens in ripa fluminis *Potentis*, aliaque ædificiorum magnorum vestigia in itinere per agros monstrantur. Inde per *Tolentinates* atq; *Camertes* in *Vmbriam*, biduiq; itinere per *Vmbrorum* agros *Fulginiunt* pergitur, ex *Fori Flamini* vicini ruinis, vt quidam autumant, extructâ à *Fulginiatibus*, ex agro *Tudertino* sedè eò trāsferentibus, cum *Flamini* *Forum* *Langebardi* deleuissent. Nunc oppidum, mercatura diues, nundinis valde frequentatur.

E via *Flaminia* per cultissimos *Vmbriæ* cam-